Margowski Andreae Rudolphi: Cherubim in terris constitutus ad portam Sapientiae D. Joannes Cantius.

CHERVBIM
JN TERRIS CONSTITVTVS
Ad Portam Sapientiæ.

D. JOANNES CANTIVS

CONFESSOR,
S. Theol. in Alma Vniuersitate Crac: Doct: & Profes:
Regni Poloniæ & Uniuersitatis
PATRONVS.
Vitæ sanctimoniâ, Virtutum miraculorumque gloriâ
Orbi terrarum notus,
Annuo Solennitatis Festo recurrente in Ecclesia Collegiata B. M. Virginis in Summo
AB JLLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO


D. VLADISLAO
á RADOMICKO
RADOMICKI

CASTELLANIDA CALISSIENSI, MOSINENSI
CAPITANEIDA, &c.
Oratoriâ pro Rostris Panegyri
In frequentissimo Illustrium hospitum conspectu
In amplissimo Peraugusti Capituli Eccl: Cathedr: Posnan: Consessu.
Deuotè
EXHIBITVS.
Clientaliq; Calamo
A M. ANDREA RVDOLPHO MARGOWSKI, *In Alma Vniuersitate Cracouiensi Phlphiæ Doctore, ac interea in Collegio Lubransciano Posñ Cursus Philosophici Professore.*
CELEBRATVS.

Anno salutatæ ab Angelo Virginis 1686.

Posnaniæ in Typogr. Rndi Domini Alberti Laktanski

Jn Auitum Decus
Jllustrissimæ ab antiquo Domûs
RADOMICCIANÆ



KOTFICIIS quòd nulla vides sint mænia CAMPIS,
Spartano hæc Patriùs pectore supplet Amor.
Sic Libertatis genium RADOMICCIA Virtus
Spirat adhuc, nullo Carcere passa premi.
KOTFICIIS præclara seges sed crescit in Aruis,
Surgit KOTFICIIS aurea messis Agris.
Mænibus ergo nouis opus est & TRIPLICE MVRO,
In Porta Cherubim Mænia quarta locat.

JLLVSTRIBVS ET MANIFICIS DOMINIS

D. MATTHIÆ

à Radomicko

RADOMICKI

Tribunalitio protunc Regni Iudici Deputato.

D. ANDREÆ ALEXANDRO,

D. STEPHANO JOSEPHO,

A Rádomicko

RADOMICCIIS

Castellanidis Calisſienſibus, Moſinenſibus,

Capitaneidis &c.

PATRONIS & PROTECTORIBVS ACADEMICIS

DEſcendit á Roſtris, vbi Fraterno Veſtro in ſanguine triumphauit Diuus Noſter Cherubim, Gentilitios Veſtros deſcendit in Campos; acſi tutiſſimum vtrobiq; Sacræ Eloquentiæ Azylum provida felicitas æquali lance partiatur. Non ita etenim Veſter hic CAMPVS ſoli Gradivo aut Bellonæ ſacer eſt, quin ſanctioribus quoq; Muſis, Plinio, calentibuſq; Phæbo præcordijs pateat in acceſſum. Curulibus & Cathedris peruium eſt hoc Theatrum, vbi non ſcenicam Trabeatus Honor Perſonam agens, Cæſáres ex vtroq; probat. Non hîc ſolam Cadmi Progeniem in bella naſci fortior Pyrrha dedit, Marpeſia in aſperas Gradiui vices pectora etiam Cyrrhæis hoſpes ab Antris venâ Nobiliore ſubit Cyneas aut Pericles. Atq; ſi in Auos, Abauos, aut Atauos, cæteraq; Auguſti ſanguinis Veſtri Nomina in hoc gloriæ CAMPO nata, ſeriùs iret Calamus; aut Plinios, aut dignos Plinio Traianos inueniret. Quis pulcherrimam deducet ſeriem Sacrâ Archipræſulum Præſulumq; Purpurâ decoratam? Adorat Virile in ANDREA Nomen Gneſnenſis Archicathedra, qui à Gentilitio Libertatis CAMPO ad Nidum Aquilarum Virtutis meritorumq; pennis euolauit. Exultat vetuſta Pomeraniæ Inſula; quòd RADOMICCIIS incubuerit frontibus in HENRICO. Gratulatur fortunæ ſuæ Præmislenſis Mitra, quòd KOTFICIANO natum in CAMPO, Caput decorauerit in ANDREA. Vt omittam tot alia, Æternitatis adamante impreſſa Antiſtitum Nomina, quorum memoriam ſerò itura ætas venturis olim Nepotibus reuoluendam tradit. Neq; id ſacri Honoris Nonplus vltra eſt. Nempe à Pontificialibus Cathedris ad Palatinas Magnorum in Republica Quiritum Curules KOTFICIANÆ Stirpi impreſſis calcatum iter veſtigijs reſtat. Fulget hîc hæreditarium veræ gloriæ Vocabulum STANISLAI RADOMICKI in Palatinatu Maſouienſi innumera factorum ſuorum exhibentis documenta. Agnoſcit veram Nominis magnitudinem in HIERONYMO RADOMICKI Vladislauienſis Palatinatus, quem, Togâ & Sago Clarum, ſalutaribus Patriæ Conſilijs Conſum, hiantibus Gradiui periculis; intrepidum vbiq; Curtium inuiolata Annalium fides Terrarum Orbi commendat; ut potè Moſchouiticis, Hotimenſibus cum Sigiſmundo laureis coronatum. Sed quid mihi cum vetuſtis Avorum Atavorumq; Veſtrorum ſplendoribus, cum recentiora DOMVS Veſtræ lumina mentem calamumq; perſtringunt vectigalem. Occurrit ante alios Illuſtriſſimus PARENS VESTER, qui Veteri Sarmatarū more & candore, non mediocre inclinatæ iam iam ſuis ſtragibus Patriæ præbens adiumentum, proprijs bonorum impendijs, lectiſſimam cataſractorum partem annis non ita pridem compluribus, in obſequium laceræ per tot bella Matris, ſuſtentabat. Laudauit nuper Inuictiſſimus IOANNES Tertius integerrimam Magni huius Ciuis & Senatoris fidem, qui vene-

randam Canitiem ſuam, fractamq; continuis laboribus ætatem ad latus Principis hoſtilibus ad Viennam ictibus obijcere non tardauit. Præſtantiſſimam vitæ ætatiſq; partem ratus, quæ in obſequiũ Patriæ, in libertatis tutamen, penderetur. Verùm & Vos in Avito hoc CAMPO non degeneres Surculi quandam Paternæ magnitudinis ſimilitudinem ſpiratis, Magni Patris non minores Filij. Diffundit ſeſe Patrij decoris amplitudo in limatiſſimam Nominum Veſtrorũ Indolem, pulchraq; eximiæ laudis conuerſio inter Vos Parentemq; Veſtrum reciprocâ quadã communione intercedit. Aſſurgis in ſpem Patriæ Illuſtris & Magnifice Domine MATTHIA RADOMICKI; fortunatiſſima omnis gloriæ ſors Tuum ſupra Nomen cecidit. Ad radicem ſecuturæ magnitudinis Tuæ Securis ponitur, ſed quæ Romanorum more Conſulum Faſces Tibi promittit Senatorios, plectendis ſcelerum noxis congruam hanc Tuam Aſciam Tribunalitiorum æquitas Iudiciorum demonſtrauit, hac nihilominus cum appendice, quòd hæc eadem Trabeatarum digna cenſeatur eſſe fabricatrix Curulium. Id dexteritas Tua, id capacis animi Tui indicia, in Comitiolis, Comitijſq; generalibus tot felicibus actis probata meruére: Fortunatis creſce auſpicijs, quæ Tibi merita Tua faciunt, Diuiq; Tui more rituq; Tutelaris, Purpuratorum accede quantotyùs Numero Patrum, ſorte & calculo Virtutum Tuarum deſtinatus. Succedis pari Naturæ Genio, quanquam annis & ætate minor Illuſtris & Magnifice D. ANDREA RADOMICKI, Fraternæ laudis menſuram Tuis Operibus imples. Virile nomen eam animi Tui conſtantiam probat, quâ citra ætatis Tuæ ambitum Neſtoreos agere mores videaris. Pectus Tuum non fucatæ encyclopedia ſapientiæ eſt, illeq; ſolidæ eruditionis dulcor, qui ſciendi deſiderio & exitu Tuam ad maiora prouocat mentem, non tenue laudum Tuarum explicat argumentum. Nihil Attica Poëtarum dulcedinis, nil Oratorum amplitudo ſuauitatis, nil Hiſtoriographorum fides veritatis comprehendit, quam ſolerti animo & innatâ quadam ſciendi auiditate non peruaſeris legendo, ſcribendo, comprobando. Verùm Regia illa ſcientiarum Maieſtas Diuina Matheſis ſingulari iure conatuq; Tuum occupauit animum, vt oſtenderes natam ad magna indolem, magnis nonniſi intentam eſſe. Pulcherrimum ſanè laudis artificium eſt, totius Orbis ambitum ſi non cum Alexandro vincendo percurrendoq;, ſaltim cum Archimede figurarum compendio demonſtrando comprehendere. Punctum itaq; hoc, á quo ſæpius lineas ducis, ſit purpurati honoris Principium, Tuiſq; adſpiret paſſibus concentrica felicitas, quàm iam ſeriâ Operum Tuorũ actiuitate exhibes prematurè. Comples quoq; ternarij numeri perfectionẽ acceſſu magnanime Illuſtris & Magnifice Domine STEPHANE RADOMICKI. Aptum coronis Nomen, egregiam Tuam coronat Indolem, quâ affabilitatem Neſtoris, magnitudinem Iulij adæquas. Verborum Tuorum gracilis ordo Gallici catenam Herculis indicat, quâ audientium animos deuincis. Senſit id Moſchouiticus Eques, cuius frigidas dulci eloquio plagas recreabas lectiſſimorum Principum in conſpectu. Tanto ergò triplicis gloriæ inuitamento pellectus Noſter Cherubim, è Roſtris, ut lubet iam in Gentilitium Veſtrum declinat CAMPVM. Prohibet quidem Cæleſtis ille Cherubim ſtricto acinace prohibet aditum Paradiſi, cuius inenarrabilem penè voluptatem decepta Protogenis noſtri amiſere deliquia. Noſter verò Cherubim ad Portam Sapientiæ conſtitutus, plenum fiduciæ iter ad Veſtra hæc explanat Tempe. Specimen iſtud Oratorium, Fraternum eſt. Quò ergo poterat deflectere aliò, niſi hûc, quò germani iura ſanguinis eidem perſuaſerẽ. Et ſiquidem agnoſcit Alma Mater mea Vniuerſitas Cracouienſis (ubi ſub Regijs D. Iagellonis Sceptris in eam gloriæ eruditiq; Nominis laudem Veſtra profecit felicitas,) agnoſcit inquam ſingulare in Vobis Patrocinium, indefeſſumq; promouendi cultûs Materni ſtudium; ideò Clientalibus meis indixit votis, vt tenui licet hac Panegyri, D. Noſtro Patriarchæ ſacrâ, beneficum Veſtrum venerarer Nomen. Aſpicite ergo ſerenâ fronte, quâ literatos complectimini animos, imparem hanc Magnitudini Veſtræ Opellam, quam in Patronum Veſtrum depono ſinum, ſupplex id poſcens, Vt beneuolam opellæ huic faciem explicetis.

Jlluſtrium & Magnificarum Dñum ſuarum

Perennis Cliens & Servus.

M. ANDREAS RVDOLPHVS MARGOWSKI, P. D. & P.

CHERVBIM

JN TERRIS CONSTITVTVS
Ad Portam Sapientiæ.

TEmpeſtatem publicam, quæ jam per tot annorum interualla, armatis continuò fluctibus in luctuoſas Gentis liberæ clades detonat, malè adhuc compreſſimus Lechi. AA. Necdum faſtuoſus ille doli Artifex exitiali ſuam Vulcaniam abſoluit opere, vbi impius Tyranni furor, noua in nos parat fulmina, quorum ſub ictum vna cunctorum Ciuium Regnorumq; ceruix priſtino Caligulæ è voto deſtinetur. Scilicet ætas hæc, quam viuimus ferrei ingenium ſæculi exueret, niſi contumax iſta armorum violentia, durâ hac prorogati certaminis continuatione ſæculis intercederet. Læduntur nihilominùs formidine, quantumuis iam aſuetæ hiſce fragoribus aures, horrentque ad inconditum colliſarum mutuò Gentium ſtrepitum bellaces animæ, licet inter clypeos natæ, cladibus enutritæ. Nimirùm nihil adeò ſtabilem naturæ genium induit, quem inſolens rerum viciſſitudo, aut importuna aduerſis vicibus calamitas non confundat. Atq; in exoſa hac ſtridentis ſæculi orbitate, in cruda implacabilis Gradiui rabie nihil metu ſecurum, nihil formidine tutum. Aræ æquè ac foci, ſacra ac profana cæco miſcentur turbine, collatiſq; in commune viribus, propè abeſt, quin mole ſuâ ruat terrarum Orbis. Nec ſatis eſt, etiam promiſcua hæc, quam deploramus afflicti temporis iactura, natiuo quantumuis exceptam priuilegio Muſarum ſacriq; Apollinis ſedem non impune tetigit, ſummoq; bicipitis Parnaſſi in culmine Phœbus adhuc non extra ictum eſt, *Feriunt ſummos fulmina montes.* Aonij illi latices mero iam ſanguine manant, Pegaſuſq; quâ Fontes expreſſerat ungulâ calcandis Barbarorum ceruicibus aptior, inuito laturus tergore non Oratores aut Pöëtas, ſed bellatores. Fatali iam metu vatidicæ obriguere Laurus, & quæ *doctarum hederæ præmia frontium* defluam, Apollinis cæſariem ornare debuerant, galeatum Martis verticem ambiunt. Non iam ſuaue Apollinaris cytharæ melos dulci modulamine auribus influit, ſed tubarum fremitu feraliq; lituorum clangore ad arma prouocamur. Tanta peieratæ ætatis malignitas boni ſuperi? cuius dolentes iuſto gemitu non penetrat fibras, cor & viſcera acri vulnere non perſtringit? Verùm Sarmatæ, triſtes deponite curas; Adhuc Cælorum arbitria ipſis Poloniam ſtare caſibus volunt, ipſis erigi

in prospera aduersis. Nil quidem nisi planctus lacrymasque hæc nu-bila sudant, sed tamen

Tempus erit quo prima quies mortalibus ægris

Diuis ita voluentibus concedetur, Præludit spei publicæ noua tantorũ cessio fortalitiorum, noua fæderum accessio, dum post vnitas potentis Austriæ vires, sanctiori quoq; fides Moschouitica Colligationis vinculo adstringitur, nudusque ille Eques ampla, quibus induatur sibi spolia de gente sperat Taurica. Sic Lechis *coniuratæ veniunt in prælia gentes*, tantumque profuit Sarmaticæ semel Aquilæ in excidium Byzantini Orientis cæteris præuolare, ut etiam in parem volandi audaciam finitima insuper Regna prouocaret. Sed hæc quæ audiuimus terrena nonnisi sunt auspicia; attamen optatiora longè præsidia oppressæ undique Genti Cælitus hodie destinantur, dum enutritum Gratijs Diui IOANNIS Nomen, aptum Cantibus CANTII vocabulum, nouum post naufragia celeusma, triumphalemque canere pæana mandat, & obserata periculorũ indicat ostia, per quæ non interruptâ serie, solæ pene clades ac funera, intimiora Patriæ nostræ præcordia inuaserant per viscera Lechiæ impune grassabantur. Clausam iam hostili insolentiæ ianuam Magnus Patriæ suæ Tutelaris Diuus IOANNES CANTIVS ominatur. Quem ego tantæ felicitatis interpretem, NOVVM in terris ad Portam Sapientiæ Cherubim exigua hac Panegyri veneraturus; supplex oro quatenus beneuolam Auditor deuotissime aurem, & intentum optatæ pacis studio animum concedas.

NEc intimiora Sapientiæ arcana scrutari, nec Corinthum libero adire pede cuilibet datum AA. Arduum omninò iter, fragosusq; Herculis trames est, qui per pulverulenta tot curarum, laborumque Olympia, ad coronatam tot Laureis Sapientiæ metam, studio ducit in desesso. Hinc

Arcet profanum vulgus inertiæ
Phœbæa virtus, nec sinit inuium
Adire culmen, laureato
Spargit opes vbi fama cliuo.

Multos quidem bonæ mentis impetus urget sublime honoris eruditi attingere fastigium, sed à ceptis desistere coguntur, vbi viderint quantùm per obstantes cuneos per tot discrimina rerum, perplexa in hoc Latium contentio restet. Terrentur intuitu laboris quibus magnitudo præmiorum cordi est, optantes sine certamine victoriam pacem sine bello: ignari penitus *Nil sine magno in vita labore mortalibus euenire* Verumtamen consulerent eiusmodi solertis naturæ genium, cur Divum Pòëtarum genus in sublimi bicipitis Parnassi vertice, Regiam Eloquentiæ majestatem in vastissimo Camporum spatio, arguta

Philo-

Philoſophantium dogmata in auio ſyluarum receſſu conſtituerit? non alia ſanè reſponſa dabit, præterquam iſta, ne ſcilicet quiſpiam in tam ſublime eruditæ laudis euolet, niſi quem ferax curarum entheus huc euexerit, Nemo Tullianos guſtet affatim fontes, niſi priùs in vicem temperamenti, vberem ſollicitæ frontis procellam affuderit. Nemo in Dodonæis veluti receſſibus ſolida Philoſophantis gloriæ oracula promere audeat, niſi prius per Logicas forti inceſſu ſpinas Porphyrianæ Arboris rudimenta maturè quæſierit. Nempe anxio difficultatis fænori expoſitum veræ gloriæ pondus mercamur: pulcherima nihilominus negotiatio, vbi fragilibus ac euanidis ære perenniora, fluxis ac inſtabilibus emuntur æuiterna. Quis verò ab auguſtis Sapientiæ penetralibus tam inutile mortalium propulſat genus, quis aditu prohibet impreſſum cuilibet natiuo iure ſciendi deſiderium? Panduntur Lycæorum adita ignauis æquè ac optimis; vnuſque Circus habet Ephoros ac Theopompos, quorum alijs fræna inijcere, ne ſolito maturiùs feſtinando recalcitrent, alijs ſtimulos & calcaria addere, ne ignauiâ & torpore hæreant, prudenti arbitrio Regina mentium Pallas deſtinauit. Ipſa tamen ignauiæ conſcientia & abiectæ mentis dedecus, tam decorum ſibi præcludit aditum, cum tamen Claua Herculis à triumphalibus veteris Sacrarij poſtibus ſolos propulſauerit canes, ne ſacra bruto inceſſu limina temerarent. Et Noſter in terris Cherubim non ita flammeo acinace humana perſtringit pectora, quin ingenuis æquè ac inertibus animis planum iter & reſerati in acceſſum pateant poſtes. Coronatam auguſtis Regum titulis priuilegijſque Palæſtram, Regina viarum decet Appia, nihilominus aſperis ſtrata lapidibus, ex quorum aſſultu non vnus hic Amphion arguto, qua virtutum, qua eruditi Nominis concentu Thebanas rurſus portas & mænia moliatur. Quæ laudatæ veritatis monumenta iure legitimo in eum, qui tantæ pars maxima gloriæ eſt, in Noſtrum ſcilicet ad Portam Cherubim deriuantur.

Verùm paradoxa me loqui Orbis arguet, acſi arida terræ ſterilitas, quæ generandis gigantum monſtris ſimilior, nobiliore fecunda partu nouos Orbi producat Cherubinos, quorum Cæleſte genus, inſigneq; dexteræ Excelſi opus, & geſtis documenta ferunt, quòd ſint ſublimi origine nati. Aſt multis non eget argumentis excelſa felicitas, quæ non quidem cunarum ſuarum priuilegio terrenos excedit partus, ſed virtutum meritorumque ſuffragio conſanguineis Cæleſtium Mentium Cætibus inſcribitur. Etenim habet omnis hoc ſanctioris vitæ gloria, quòd thaumaturgæ vi metamorphoſis ituras in Cæli ſublimia mentes, ubi graui terræ exuerit ſarcinâ pernicibus induat alis, ut nouo huc electionis iure pertingant, unde illos naturæ Originiſque calcu-

 lus

lus ad ima terræ depresserat. Et Noster Cherubim, si in singula innocentis vitæ illius momenta penetrauerimus, parem vbiq; tantæ celsitudini gessit animum, nihilq; defuit, quod Cherubici Nominis mensuram in eo non impleret. Nam si à plenitudine scientiarum genuina Cherubini Nomenclatio fidam tanti vocabuli deducit originem; hanc in Diuo nostro IOANNE plenitudinis felicitatem, ferax gratiarum amplitudo, Honorque Laureatus, aut inuenit, aut facit. Non ita etenim Laurus Academica immeritis unquam incubuit frontibus, ut idola coronaret. Ea potiùs Doctorale Decus ambit Capita, quæ aut iam ferax scientiarum ubertas Capitolino digna triumpho argumenti scrutinio inuenit, aut eximiæ grandioribus ceptis dotes complementum magnitudinis ulteriori cuiuspiam ab usu pollicentur. Diuus noster Cherubim àd triumphalem istam sapientiæ portam, ad laureatū (Philosophiam loquor) eruditi honoris ostium, eà scientiarum amplitudine decorus eminuit, ut veluti Cythara varietate chordarū distincta, quocunq; sua aut scribendi, aut legendi necessitas concordes pulsaret fides, eū mox dabat concentū, cuius voluptate perfusi cunctorū animi liberis calculorum suffragijs in idem conspirarunt, vt ad plenam laboris Stagyritici Domum, ad operosum socialis vitæ Collegium virtutis inuitamento vocaretur. Annuit concordibus Maiorum suorum votis, Philosophici Diuinique amoris fædere obstrictus pietati & sapientiæ Doctor, illoque Aristotelici certaminis in curriculo, tantum mox utriusq; virtutis fecit experimentum, ut Purpuræ Decanalis præmio in Facultate Artistica meruerit insigniri. Felix Purpura, quæ tantos digna fueras operire lacertos, in quibus Atlanticum pondus, Academicum inquam tot siderum firmamentum senio suo recumbendi fulcrum adinuenit. Non eos insigni hoc Sapientiæ Cultu ornabas humeros, sub quorum pallio laruata fastûs et arrogantiæ vitia specie virtutis latitant. Non erectam inani fastu ceruicem Clarissimi titulo in altum irritabas, quamuis non raró formidolosa sapientiæ possessio.

Os homini sublimè dedit . . . . . .
Iussit & erectos ad sidera tollere vultus.

Hausisti ô Purpura illibato illius de pectore, genuinum niueæ mentis dibaphum, quo ille candidiores omni ebore interdum pingebat genas, indiciumque natiuæ serenitatis expressus hic rubor dabat, quoties insanus alicubi probrosæ vocis turbo, aurium per adita innocenti nubila in animo excitaret. Vnde tantæ virtutis arrabonem, inclytam Miraculis Decanalis gloriæ Togam, ad hæc vsque tempora, augusta Cælorum clementia reseruat, vetustasque temporum vi putredinis, esuque vermium non consumit, quo integer vitæ purusque

scele-

ſceleris animus induebatur. Trabeatus ille Cætûs Peripathetici honor primum in aditu, ultimum in exitu ſpectabat Decanum, vel hoc ſolo nouum ad Portam ſapientiæ Cherubinum. Plura ille hoc in Philoſophantis gloriæ paſſu exemplo fecit, quæ ego verbis percurrere non deſiſterem, niſi iam à profanis hiſce ſapientiæ ſtudijs ad Muſæ ſanctioris Atticam grandioribus veſtigijs præſentia Diuiniorum me urgeret. Vix enim ab ijs, quas naturæ genius inſpirat ſcientijs, ad ſupernaturalis arcana Sapientiæ Beatus noſter gradum tranſtulit Doctor, in eam Theologicæ plenitudinis gratiam profecit, ut Hipponenſi Auguſtinū, Clareuallenſi è Cathedra mellifluum ſpectare Doctorem ſæcula teſtarentur. Excitabant ſuum Themiſtoclis trophæa Theſeum Doctoris Angelici Solis Aquinatici meliore flamma radij ſanctiora urebant præcordia Noſtri ad Portam Sapientiæ Cherubini, quatenus transfuſo in ſe lumine, deriuatiſque deſuper ſplendoribus Academicum illuſtraret firmamentum, eſſetque Luminare minus in poſtera minorum gentium ſidera lucis agnatæ diffuſiuum. Et bene eſt, erraticis ſiquidem ita allucebat mentibus, ut à funeſta præcipitij caligine, à cæcis ſcelerum latebris, ad veram Gratiæ lucem, ad ſaniorem virtutis viam eaſdem reuocaret. Tonabat ſanctiori impetu flammeus hic pro Aris Pericles, ſicque Verborum fulmine obſtinatas cordium petras penetrabat, ut protinus in uberes Pœnitentiæ lacrymas, ſolutæ, ſacratioris venæ fontes exhiberent, ubi fædam innocentiæ luem, corruptæq; probra animæ renata doloſis è cineribus Phænix conſcientia expiaret. Reuocabat Noſter Cherubim ad Cæleſtem Gratiæ Portam deuium per errorum abrupta genus, ineffabileſque Cæleſtis Paradiſi monſtrabat delicias, unde perituris citò fallacis arrogantiæ blandimentis, decepta mortalium conditio perennis rea opprobrij excedere coacta eſt. Hæc Diuinioris Gratiæ in reſtitutas impreſſio mentes, Sacræ vis afficax Theologiæ erat, ac proinde doctrinalis Studium Theologiæ Oſtium quoddam Cæleſtis Gloriæ aditum in ardua ſiderum parans. Si Oſtium ac Porta, ad eam Noſtrum in terris Cherubim iam vidiſtis.

Nec ſola tantummodò ſcientiarum plenitudo, quam in Doctore Noſtro ſpectauimus, Cherubici Nominis magnitudinē probat, etiam in parem celſioris huius energiam Virtutum conſpirat amplitudo. Si enim in eo non fucatæ humilitatis exempla quærimus, ipſa totius eiuſdem vitæ ratio pro hac virtute militat; Non ad ianuam hanc [Humilitatē ſic mutato Nomine appello] non ſubdolus ille ſcelerumq; penè omnium prodromus ſteterat unquam hoſtis, non Erebi ille ſatelles, veraque Orci propago tumor, qui egregias plerumque honoris magnitudine infaſcinat mentes. Victa ſemper malignus arrogan-

æ furor Cherubino Noſtro, qui à partibus Michàëlis ſtetit victa, ræbuit colla, gemuitque ſub triumphali pedum calcaneo depreſſa, faſtûs inſolentia attritu plantarum mitior. Iuſtum ſanè tumori ſupplicium ad ima pedum protrudi, qui vt potè extrema capitis auſu nefario nititur occupare. Tantæ virtutis lucem, quæ dum ſuis ſe prohibet videri in umbris magis patet, vocalis illa prodit teſſera

Conturbare caue non eſt placare ſuàuè

Diffamare caue nam reuocare graue.

Hæc Melioris obſonij condimenta atque delicatæ menſarum cupepiæ inexplebilem illi virtutis guſtum ſæpjùs acuebant, vera Humilitatis progenies ſolitudo, ac à morſu honoris alieni abſtinentia, quâ ille ſcriptis, voce, exemplo, venturis letò Nepotibus iterabat. Laudatiſſimam itaque Humilitatis virtutem, ſi ſacrorum monumenta Scriptorum, Ianuam virtutum omnium & melioris vitæ Portam dixerant, ad Portam etiam iſtam Noſter in terris fortiter ſtetit Cherubim. Atq; Vnica hæc tantæ virtutis ratio pro domo Cherubici Nominis ſtare in concuſſa poſſet; cum enim contumax illud ſuperbiæ facinus, à Cæleſtium conſortio virtutum perduelles Luciferi ſatellites turbamque faſtuoſi ſceleris ſociam propulſarit cur egregia quoque Humilitatis vis & potentia animos ſtudio ſui deditos, contrariorum priuilegio partenijs Angelorum cætibus non inſcribat. Sed quia plenitudinis utriuſq; argumento Cherubicum definiri nomen meminimus, ideo concatenata virtutum ſeries, ſocialiſque acceſſio in euidentius Cæleſtis huius naturæ veniat documentum. Vetus ille mendacis ingenij artifex violatæ flagitio veritatis Angelicam toties naturam temerauit, cum & ſpei tumidæ crepundia fallacibus deciperet votis, ſupremi maieſtatē dominij pertinaci ſtudio mendacij ambiens, cum nec inferior duos vnquam excipiat thronus, ac proinde ſuo ipſa nefario auſu conuicta temeritas cecidit, parique ſcelere, ignara ad hæc mortalium primordia illaqueare contendit, aureum Cæleſtis Regni pomum appromittens, cum tamen laborioſis ſceptra ligonibus, rudique laceræ purpuram intenderet permutare. Vt itaque illud Cherubim Noſter virtute quæreret, quod probro antiquus ille transfuga amiſerat, veritatis candorem adeò tenerrimè imbibit, ut etiam dum impreſſa, metù obliuio innocentiſſimum vitio mendacij abſolueret, ipſa ſe innocentia accuſaret. In ſanctam ille peregrinus Terram cum inſidiantium vitæ alienæ latronum irruptione urgeretur, aurique fames nobilioris pretij quæreret alimenta, impos animi negauerat, quod breui præſtitit; nam reuocatis in mentem aureis quos citra auaritiæ dedecus innocens occultauerat prouidentia; ſponte rediit, querulíſque obſecrabat precibus, ut perfido parcerent, acſi etiam du-

ræ

ræ illi insidiantium extorsioni rea fidelitas ex integro obsequi teneretur. Ceciderunt illi publicæ securitatis violatores, ad Nostri pedes Cherubini, victamq; se agnouit rabies, quæ brutis non hominibus similior, diuturnis intenta spolijs, efferam cæsâ per corpora sæuitiem quâ data furori porta exercebat. Tantùm potuit candoris integerrimi virtus, quæ & obstinatos animorum conatus profligat, & nouos in terris sui magnitudine probat Cherubinos. Pertinet ad complementum plenitudinis succedanea quoque cæterarum virtutum series, quæ passibus ingenuis fida priorum imitatrix, pietatis satellicia claudit. Primam spectare licet intenti alienæ indigentiæ animi vadem, quam vulgare vocabulum dulci Misericordiæ titulo appellat. Profundissimè illam Diui IOANNIS Nostri medullis adeo Diuinus impresserat Amor, ut nullus unquam maligni temporis error, pientissimis eandem visceribus extorqueret. Vt scilicet nouum vitæ sanctimonia Cherubicæ magnitudinis faceret documentum, obæratam humanæ calamitati propensionem iugi exsoluit ministerio. lucerat Diuini cultûs studio euocatus Cherubim Noster sacrarum Diuæ Annæ in secessu Ædium solitæ daturus operam contemplationi, & ecce intensissimis brumæ algoribus ingemiscentem in vestibulo Ecclesiæ, miserabilioremque veteri Iro spectat pauperem cuius tremulis vox faucibus hærens, omni gladio ancipiti penetrabilior adeò sacrum commiserationi pupugit animum, ut depositâ protinùs veste vix spirantia præ frigoris æstu corpora palliaret. Sed cum maturiori reditu suum iterum adiret cubiculum, donatæque vestis defectum alteriùs pallij accessu supplere intenderet, prius quo nudos egeni lacertos operuerat inuenit. Ita sancta liberalis animi effusio in orphanos erogata usus, obligatam multiplici fænore Divorum obstringit memoriam, ut etiam miraculis sacra hæc probet impendia, in vitaque mortalium laudatissima hæc largitionis specimina remunerationis præmio sine mora coronet, potiorem nihilominùs sera post fata partem copiosæ mercedi reseruando. Beneficia scilicet non amittit qui alacri impendit manu captiuæ pro Deo sponte suâ indigentiæ. Ad istam itaq; sacrarum Ædium Portam Nouum in CANTIO quis negat Cherubinum. Atq; hactenus per gradus veluti quosdam scientiarum virtutumq; contendit ratio, donec ad summum trinæ plenitudinis fastigium, interprete Cherubicæ magnitudinis euentu, grande in vita prodigiorum Nos impellat argumentum. Terminales siquidem humanæ sortis excedit, metas thaumaturgo miraculorum exitu probata perfectioris vitæ celsitudo. Hanc in Nostro sospitante adhhc terras Cherubino viderunt sæcula, mirabantur Ciues Orbis deniq; stupuit Vniuersus. Tempus erat quo flammeus noster ad Aras Cherubim tre-

men-

menda sacrificij mysteria celebrabat, & ecce infernalis ille Tytio mẽtitus formam hirundinis tristesq; Progne voces simulans, nunc fallacem titubans in gyrum, pennis carpebat æthera, nunc defluo ausu sacrum venerandi Capitis tangebat verticem, queruloque gutture euocati in Cælestia animi impetus confundere nitebatur. Verùm nihil agis probrose pacis publicæ Violator; contra Nostrum Cherubim antiqua restauras prælia, acsi parùm esset semel triumphali Michàëlis dexterâ profligari, iterum ad arma prouocas Cherubinum, ut nouâ rursus strage etiam in terris dispareas castigatus? Factum est, impositâ etenim sacris coronide, importunam apprehendit volucrem, fortiq; impetu omnium in conspectu allisit terræ; sed mox fumosam hirundinis formam in teterrimam draconis varians figuram perenni cum opprobrio disparuit, exitiosumque inuenit Caucasum infelix ille Proteus stygijs aduena huc à caminis. Tacebo non mortale illud, quod egit opus: cùm insolitis squaleret eiulatibus minacis heræ furias maturè callens quædam Cracia in Vrbe ancilla, quòd argillacea artis exquisitæ vasa lactis dulcedine oppleta attritu lapidis frangeret, iustis subueniens planctibus, benefaciendo fortè hâc transiens Divus IOANNES CANTIVS, collectas ergo testulas ad pristinam reuocauit normam, haustamque vicino è fluuio lympham in delicatissimi speciem lactis restituit. - *sic mutant elementa fidem* . . feratis gratiæ nutibus obsecuta. Bene ibi lamentabilis illa Agar graui timoris æstu laborans feliciores inuenit fontes, quos Noster Cherubim stupendo illi opere indicauit. Sed hæc minora sunt quæ hactenus audiuistis; Vnum illud pertransire non possum, cuius facti exemplo, inusitata Cherubicæ naturæ sublimitas constat; *Nox erat & placidam ducebant cuncta quietem* sola Diui IOANNIS CANTII pietas Cælestes ad Portam agebat excubias ante dolorosæ Deiparæ suo cum Filio imaginem in vestibulo Majoris Collegij eximias fundendo preces; & ecce quam sub ænigmate profundissimo venerabatur cultu, reuelatâ tandem facie Cælestem illam Reginam vidisse meruit, quæ dulci alloquio suum compellans IOANNEM, Togam non Arte Phrygiâ, sed Angelicis paratam manibus Doctori concessit candidissimo. Nox illa fortunatissimæ cuiusquã diei auspicia vicit, in qua vt potè utrumq; Luminare, extra solitam Naturæ orbitam, Academicæ concessit Intelligentiæ. Assurge itaque in reuerentiam fortunæ Tuæ Alma Mater mea Vniuersitas Cracouiensis, quod ad Ostium Maioris Domûs Tuæ, non centoculi Dracones flammamuè spirantes tauri, aureum Sapientiæ Tuæ Vellus fortibus cingant excubijs, sed duas illasque immobiles Columnas, aut veriùs inexpugnabilem habeas in limine Turrim, ex qua mille Clypei omnisque fortium pendet armatura. Iuerunt

runt pede libero per Tuam hanc triumphalem Portam magna Sapientiæ Nomina Sacra virtutis Diuæq; pietatis ac Cælesti Diuorum apotheosi inscripta astris Numina, duce & antesignano Nostro ad Portam Sapientiæ Cherubino. Iuerunt celeberrimarum Vetustate suâ Religionum ornamenta. B. Stanislaus Casimiritanus, B. Isaias Bonner, B. Simon de Lipnica, B. Michäël Gedroic Littauorum Ducum sanguine cretus coronata Lauru Academicâ, Cælestique diademate Nomina. Prodierunt ab insigni hac Sapientiæ Porta celeberrima Pontificialibus Tiaris Capita IOANNES LVBRANSCIUS, De Armis Lodzia TOMICCIVS Augustæ huius Cathedræ Posnaniensis gloria ingens, STANISLAVS HOSSIVS, Hereticæ maligniratis fulmen Cardinalitiâ Romanæ Ecclesiæ Purpurâ, simulq; insignis Infulâ Varmiensi, [quæ hodie etiam posthumo successionis iure, in Celsissimo RADZIEIOWIORVM sanguine Nouum adorat Romanæ Ecclesiæ Purpuratum.] SBIGNÆVS OLESNICKI Cardinalitio Murice Pontificiâq; CelebérrimæCracouiensis Cathedræ bysso celebratus. Totq; alia immortalibus Almæ Academiæ Cracouiensis fastis consignata Laureatorum Capita. In OSSOLENIIS, TECZYNIIS, ZAMOSCIIS, TARNOVIIS, MELECCIIS, SZIDLOVECCIIS, sexcentisq; alijs fidissimis Patriæ suæ columinibus: in sacris Theologiæ luminibus Sokolovio Conciliorum Præside; ROMERIIS SCHONEIS, VADOVIIS, OPATOVIIS, in viuis Iuris Vtriusq; Codicibus GORSCIIS, BIRKOVIIS, NAYMANOVIIS; milleniisq; alijs de quibus serò itura ætas nuspiam conticescet. Ad istam Sapientiæ Portam primùs in Terris Noster stetit Cherubim. Verùm non in sola Veteris Craci Vrbe Magni iste Consilij Angelus, amplissimum hoc reperit Ostium. Habet etiam in sacris hiscè Ædibus felici calculo destinatam gloriæ Portam, inquilinum Augustissimæ Cælorum Reginæ receptaculum. Per Portam istam Sapientiæ quisquis ad Cæleste illud Capitolium adita non quæsiuit, desipuit, peiusq; Theseo per abstrusa errorum, arduis Labyrinthi tractibus laborauit, cui sanctior Ariadna insigni Pietas studio, planum iter tenui amoris filo ad Portam hanc Sapientiæ non indicauit; Ad istam fortunatus Noster stetit Cherubim.

Verùm dic age Diuinissime Cherubim num calamo illibatisuè candoris Tui lilijs armatus ad Portam istam Sapientiæ stare poteris? Delicata hæc tela fortium quidem sunt Cælestis gloriæ Atletarum, facileq; pictis quanquam hiscè Armis sternitur hostis, nihilominùs maiore opus est apparatu. Nec sanè aut stridentes Vulcani Officinas aut Veteris Romæ Martialibus plena Clypeis Sacraria adire placet. Peraugustum Cathedræ Posnaniensis Capitulum inusitatæ fortitudinis instrumenta Cherubicis aptat manibus, Arma Diuinissime Cherubim, arma dexteram insigni Doctoris Gentium gladio, quo sanctior hic non

C raro

rarò Hercules Lernæam Hereſeos tot Capitum Hidram felicibus deſpreſſit auſpicijs. Prehende manu alterâ aureas Petri Claues quibus Oſtia bonæ ſpei toties patuêre. Clauibus ſub iſtis Theſaurus Sapientiæ abſconditus, omniq; pretioſior auro eruditi honoris maieſtas aſſeruatur. Atq? hic iam in pronam Oratio mea ſternitur reuerentiam quoties, excelſa Theologicæ, Iuridicæque Laureæ Capita tantò in conſpectu veneratur. Doctoralis non Vnius hic annulus decorem Sponſæ Chriſti auget. Nec ex vano Annulus Piſcatoris triumphat, in Nauicula Petri ſanctiores hic ſpectans Policrates, quorum calcaneis inſolentius Orbis mare obſequentes in cultum componit fluctus. Eſt hic Iuris Vtriuſque pupilla, viua Conſiliorum Encyclopedia, genuina æqui Iuſtiq; amuſſis, cuiùs inclytum Nomen duplici coronatum Laurea ubi ſponſæ huius cultum rugoſamque aliquantùm Balticis è ruderibus venuſtatem, munificentiâ ſuâ decorare non deſiſtit, etiam Diui IOANNIS CANTII ſingulare ornamentum, ſpeciali beneficæ liberalitatis prouentu non ceſſat coronare. Erige itaque in ſpem melioris æui animum fortunatiſſima Petri Cathedra, quòd ſacratioribus Inſignium Tuorum Armis Noſter firmatus Cherubim, ad Portam triumphet Sapientiæ. Applaude fortunæ Tuæ Vetuſtiſſima Maioris Poloniæ Metropolis, quòd ad Turritam eximij Stemmatis Tui Portam, etiam hic Fortis armatus, Noſter inquam Cherubim acceſſerit. Arcebit crede mihi, à primo mæniorum Tuorum limine arcebit importuna errorũ confinia præliatrix Cherubini Noſtri dextera, quouſque prima Conſiliorum fouebis Capita, quæ aut ſub LVBRANSCIANA Pinu, aut ſub Regalibus D. IAGELLONIS Sceptris ſollicitas eruditi laboris curas poſuêre. Exulta denique Polonia quòd eos Viſceribus Tuis enixa fueris, qui non vanos Cherubici Nominis titulos operum excellentium magnitudine meruêre. Spes igitur non dubijs acceleret pennis, quòd claudetur infenſa furoris Othomannici Porta, Bifrontis deniq; Iani laureati pacis, me Vate Poſtes aperientur.

DIXI.